DISTICHS

attributed to

CATO

WITH RESTART

EPIC POEM .ORG

DIGITAL CLASSICS

AS IF INTERLEAVED

2.0

THESE LINES HAVE CONVERGED TO TELL
A STORY THAT SATISFIES ME IN MY HEART,
WHERE ONLY THERE IT REALLY COUNTS.

PRINT:
1 to **6**

AS IF INTERLEAVED

language: Latin (iii or iv CE)
copy text: W. J. Chase (1922)
typeface: Kings Caslon by Dalton Maag

EPICPOEM.ORG 🇺🇸 309 lines 2.0

PRINT:
2 to **6**

As some way-faring Man, who wanders o'er
In Thought, a Length of Lands he trod before,
Sends forth his active Mind from Place to Place,
Joins Hill to Dale, and measures Space with Space:

DISTICHS
attributed to
CATO

WITH RESTART

EPIC POEM .ORG
DIGITAL CLASSICS

THESE LINES HAVE CONVERGED TO TELL
A STORY THAT SATISFIES ME IN MY HEART,
WHERE ONLY THERE IT REALLY COUNTS.

I

Si deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi praecipue sit pura mente colendus.
Plus vigila semper neu somno deditus esto;
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.
Virtutem primam esse puto, conpescere linguam:
Proximus ille deo est, qui scit ratione tacere.
Sperne repugnando tibi tu contrarius esse:
Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.
◆ Si vitam inspicias hominum, si denique mores,
Cum culpant alios: nemo sine crimine vivit.
Quae nocitura tenes, quamvis sint cara, relinque:
Utilitas opibus praeponi tempore debet.
Clemens et constans, ut res expostulat, esto:
Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.
Nil temere uxori de servis crede querenti:
Semper enim mulier quem coniux diligit odit.
Cum moneas aliquem nec se velit ille moneri,
Si tibi sit carus, noli desistere coeptis.
Contra verbosos noli contendere verbis:
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.
Dilige sic alios, ut sis tibi carus amicus;
Sic bonus esto bonis, ne te mala damna sequantur.
Rumores fuge neu studeas novus auctor haberi;
Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.
Spem tibi polliciti certam promittere noli:
L1[I] Rara fides ideo est, quia multi multa locuntur.
Cum te aliquis laudat, iudex tuus esse memento;
Plus aliis de te quam tu tibi credere noli.
Officium alterius multis narrare memento;
At quaecumque aliis benefeceris ipse, sileto.
Multorum cum facta senex et dicta reprendis,
Fac tibi succurrant, iuvenis quae feceris ipse.
Ne cures, si quis tacito sermone loquatur:
Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.
Cum fueris felix, quae sunt adversa caveto:
Non eodem cursu respondent ultima primis.
Cum dubia et fragilis nobis sit vita tributa,
◆◆ In morte alterius spem tu tibi ponere noli.
Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
Accipito laetus, plene et laudare memento.
Infantem nudum cum te natura crearit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.
Ne timeas illam, quae vitae est ultima finis:
Qui mortem metuit, quod vivit, perdit id ipsum.
Si tibi pro meritis nemo succurrit amicus,
Incusare deos noli, sed te ipse coerce.
Ne tibi quid desit, quod quaesisti, utere parce;
Utque, quod est, serves, semper tibi desse putato.
Quod dare non possis, verbis promittere noli,
Ne sis ventosus, dum vir bonus esse videris.
Qui simulat verbis nec corde est fidus amicus,
Tu quoque fac simules: sic ars deluditur arte.
Noli homines blando nimium sermone probare:
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.
Cum tibi sint nati nec opes, tunc artibus illos
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.
Quod vile est, carum, quod carum, vile putato:
Sic tu nec cupidus nec avarus nosceris ulli.
Quae culpare soles, ea tu ne feceris ipse:
Turpe est doctori, cum culpa redarguat ipsum.
Quod iustum est petito vel quod videatur honestum;
Nam stultum petere est quod possit iure negari.
Ignotum notis noli praeponere amicis:
Cognita iudicio constant, incognita casu.
Cum dubia in certis versetur vita periclis,
Pro lucro tibi pone diem, quicumque sequetur.
Vincere cum possis, interdum cede sodali,
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.
Ne dubita, cum magna petes, impendere parva:
His etenim pressos contingit gloria raro.
Litem inferre cave, cum quo tibi gratia iuncta est:
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.
Servorum culpa cum te dolor urguet in iram,
Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.
Quem superare potes, interdum vince ferendo;
Maxima enimst hominum semper patientia virtus. L2[O]
Conserva potius, quae sunt iam parta, labore:
Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas.
Dapsilis interdum notis et largus amicis
Cum fueris, dando semper tibi proximus esto.

II

Si potes, ignotis etiam prodesse memento:
Utilius regno est, meritis adquirere amicos.
An di sint caelumque regant, ne quaere doceri:
Cum sis mortalis, quae sunt mortalia, cura.
Linque metum leti; nam stultum est tempore in omni,
Dum mortem metuas, amittere gaudia vitae.
Iratus de re incerta contendere noli:
Inpedit ira animum, ne possis cernere verum.
Fac sumptum propere, cum res desiderat ipsa;
Dandum etenim est aliquid, dum tempus postulat aut res.
Quod nimium est fugito, parvo gaudere memento:
Tuta mage est puppis, modico quae flumine fertur.
Quod pudeat, socios prudens celare memento,
Ne plures culpent id quod tibi displicet uni.
Nolo putes pravos homines peccata lucrari:
Tempore si peccata latent, et tempore parent.
Corporis exigui vires contemnere noli:
Consilio pollet, cui vim natura negavit.
Cui scieris non esse parem, pro tempore cede:
Victorem a victo superari saepe videmus.

Adversum notum noli contendere verbis:
Lis verbis minimis interdum maxima crescit.
Quid deus intendat, noli perquirere sorte:
Quid statuat de te, sine te deliberat ille.
Invidiam nimio cultu vitare memento:
Quae si non laedit, tamen hanc sufferre molestum est.
Forti animo ferto, cum sis damnatus inique:
Nemo diu gaudet, qui iudice vincit iniquo.
Litis praeteritae noli maledicta referre:
Post inimicitias iram meminisse malorum est.
Nec te conlaudes, nec te culpaveris ipse;
Hoc faciunt stulti, quos gloria vexat inanis.
Utere quaesitis modice: cum sumptus abundat,
Labitur exiguo, quod partum est tempore longo.
Insipiens esto, cum tempus postulat ipsum:
Stultitiam simulare ioco, cum tempore laus est.
Luxuriam fugito, simul et vitare memento
Crimen avaritiae; nam sunt contraria famae.
Nolito quaedam referenti credere saepe:
Exigua est tribuenda fides, qui multa locuntur.
Quae potus peccas, ignoscere tu tibi noli;
Nam crimen vini nullum est, sed culpa bibentis.
Consilium arcanum tacito committe sodali,
Corporis auxilium medico committe fideli.
Successus nolito indigni ferre moleste:
L2[I] Indulget Fortuna malis, ut vincere possit.
Prospice, qui veniant casus, hos esse ferendos:
Nam levius laedit, quidquid praevidimus ante.
Rebus in adversis animum submittere noli:
Spem retine; spes una hominem nec morte relinquit.
Rem, tibi quam noris aptam, dimittere noli:
Fronte capillata, post est Occasio calva.
Quod sequitur specta quodque imminet ante videto:
Illum imitare deum, partem qui spectat utramque.
Fortius ut valeas, interdum parcior esto:
Pauca voluptati debentur, plura saluti.
Iudicium populi numquam contempseris unus:
Ne nulli placeas, dum vis contempnere multos.
Sit tibi praecipue, quod primum est, cura salutis;
Tempora nec culpes, cum sit tibi causa doloris.
Somnia ne cures; nam mens humana quod optat,
Dum vigilat, verum per somnum cernit id ipsum.

III

Instrue praeceptis animum, ne discere cessa;
Nam sine doctrina vita est quasi mortis imago.
Cum recte vivas, ne cures verba malorum:
Arbitrii non est nostri, quid quisque loquatur.
Productus testis, salvo tamen ante pudore,
Quantumcumque potes, celato crimen amici.
Sermones blandos blaesosque cavere memento:
Simplicitas veri forma est, laus ficta loquentis.
Segnitiem fugito, quae vitae ignavia fertur;
Nam cum animus languet, consumit inertia corpus.
Interpone tuis interdum gaudia curis,
Ut possis animo quemvis sufferre laborem.
Alterius dictum aut factum ne carpseris umquam,
Exemplo simili ne te derideat alter.
Quod tibi sors dederit tabulis suprema notato,
Augendo serva, ne sis quem fama loquatur.
Cum tibi divitiae superant in fine senectae,
Munificus facito vivas, non parcus, amicis.
Utile consilium dominus ne despice servi:
Si prodest, sensum nullius tempseris umquam.
Rebus et in censu si non est quod fuit ante,
Fac vivas contentus eo quod tempora praebent.
Uxorem fuge ne ducas sub nomine dotis,
Nec retinere velis, si coeperit esse molesta.
Multorum disce exemplo, quae facta sequaris,
Quae fugias: vita est nobis aliena magistra.
Quod potes, id temptato, operis ne pondere pressus
Subcumbat labor et frustra inceptata relinquas.
Quod factum scis non recte, nolito silere,
Ne videare malos velle inritare tacendo.
Iudicis auxilium sub iniqua lite rogato:
Ipsae etiam leges cupiunt ut iure rogentur.
Quod merito pateris, patienter ferre memento,
Cumque reus tibi sis, ipsum te iudice damna. **L2[I]**
Multa legas facito, tum lectis neglege multa;
Nam miranda canunt, sed non credenda poetae.
Inter convivas fac sis sermone modestus,
Ne dicare loquax, cum vis urbanus haberi.
Coniugis iratae noli tu verba timere;
Nam lacrimis struit insidias, cum femina plorat.
Utere quaesitis, sed ne videaris abuti:
Qui sua consumunt, cum dest, aliena secuntur.
Fac tibi proponas, mortem non esse timendam:
Quae bona si non est, finis tamen illa malorum est.
Uxoris linguam, si frugi est, ferre memento;
Namque malum est, non velle pati nec posse tacere.
Aequa diligito caros pietate parentes,
Nec matrem offendas, dum vis bonus esse parenti.

IV

Despice divitias, si vis animo esse beatus;
Quas qui suspiciunt, mendicant semper avari.
Commoda naturae nullo tibi tempore derunt,
Si contentus eo fueris quod postulat usus.
Cum sis incautus nec rem ratione gubernes,
Noli Fortunam, quae non est, dicere caecam.
Dilige olens nardum, sed parce; defuge odorem,
Quem nemo sanctus nec honestus captat habere.
Cum fueris locuples, corpus curare memento:
Aeger dives habet nummos, se non habet ipsum.

Cato Distichs

Verbera cum tuleris discens aliquando magistri,
Cato Fer patris imperium, cum verbis exit in iram.
Distichs Res age quae prosunt; rursus vitare memento,
In quis error inest nec spes est certa laboris.
Quod donare potes, gratis concede roganti;
Nam recte fecisse bonis, in parte lucrorum est.
Quod tibi suspectum est, confestim discute quid sit;
Namque solent, primo quae sunt neclecta, nocere.
◆ Cum te detineat Veneris damnosa libido,
Indulgere gulae noli, quae ventris amica est.
Cum tibi praeponas animalia bruta timore,
Unum hominem scito tibi praecipue esse timendum.
Cum tibi praevalidae fuerint in corpore vires,
Fac sapias: sic tu poteris vir fortis haberi.
Auxilium a notis petito, si forte labores;
Nec quisquam melior medicus quam fidus amicus.
Cum sis ipse nocens, moritur cur victima pro te?
Stultitia est morte alterius sperare salutem.
Cum tibi vel socium vel fidum quaeris amicum,
Non tibi fortuna est hominis sed vita petenda.
Utere quaesitis opibus, fuge nomen avari:
Quid tibi divitias, si semper pauper abundes?
Si famam servare cupis, dum ulvis, honestam,
Fac fugias animo, quae sunt mala gaudia vitae.
Cum sapias animo, noli ridere senectam;
L2[O] Nam quoicumque seni puerilis sensus inhaeret.
Disce aliquid; nam cum subito Fortuna recessit,
Ars remanet vitamque hominis non deserit umquam.
Prospicito tecum tacitus quid quisque loquatur:
Sermo hominum mores et celat et indicat idem.
Exerce studio quamvis perceperis artem:
Ut cura ingenium, sic et manus adiuvat usum.
Multum venturi ne cures tempora fati:
Non metuit mortem qui scit contempnere vitam.
Disce sed a doctis, indoctos ipse doceto:
Propaganda etenim est rerum doctrina bonarum.
Hoc adhibe vitae quo possis vivere sanus:
◆◆ Morbi causa mali est, nimia est quaecumque voluptas.
Laudaris quodcumque palam, quodcumque probaris,
Hoc vide ne rursus levitatis crimine damnes.
Tranquillis rebus semper diversa timeto,
Rursus in adversis melius sperare memento.
Discere ne cessa; cura sapientia crescit,
Rara datur longo prudentia temporis usu.
Parce laudato; nam quem tu saepe probaris,
Una dies, qualis fuerit, ostendit, amicus.
Non pudeat, quae nescieris, te velle doceri:
Scire aliquid laus est, culpa est nil discere velle.
Cum Venere et Baccho lis est et iuncta voluptas:
Quod lautum est, animo conplectere, sed fuge lites.
Demissos animo et tacitos vitare memento:
Quod flumen placidum est, forsan latet altius unda.
Dum fortuna tibist rerum discrimine prava,
Alterius specta cui sit discrimine peior.
Quod potes, id tempta; nam litus carpere remis
Utilius multo est quam velum tendere in altum.
Contra hominem iustum prave contendere noli;
Semper enim deus iniustas ulciscitur iras.
Ereptis opibus noli maerere dolendo,
Sed gaude potius, tibi si contingat habere.
Est iactura gravis quaesitum amittere damno;
Sed tibi cum valeat corpus, superesse putato.
Tempora longa tibi noli promittere vitae:
Quocumque incedis, sequitur mors corporis umbra.
Ture deum placa, vitulum sine crescat aratro:
Ne credas gaudere deum, cum caede litatur.
Cede locum laesus Fortunae, cede potenti:
Laedere quo potuit, poterit prodesse aliquando.
Cum quid peccaris, castiga te ipse subinde:
Vulnera dum sanas, dolor est medicina doloris.
Damnaris numquam post longum tempus amicum:
Mutavit mores, sed pignora prima memento.
Gratior officiis, quo sis mage carior, esto,
Ne nomen subeas quod dicunt officiperdi.
Suspectus cave sis, ne sis miser omnibus horis;
Nam timidis et suspectis aptissima mors est. **L1[I]**
Cum servos fueris proprios mercatus in usus
Et famulos dicas, homines tamen esse memento.
Quam primum rapienda tibi est occasio prona,
Ne rursus quaeras iam, quae neglexeris ante.
Morte repentina noli gaudere malorum:
Felices obeunt, quorum sine crimine vita est.
Cum coniux tibi sit, ne res et fama laboret,
Vitandum ducas inimicum nomen amici.
Cum tibi contigerit studio cognoscere multa,
Fac discas, multa a vita te scire doceri.
Miraris versus nudis me scribere verbis?
Hoc brevitas fecit, sensu uno iungere binos.
Telluris si forte velis cognoscere cultus, **II intro**
Vergilium legito; quodsi mage nosse laboras
Herbarum vires, Macer haec tibi carmina dicit;
Si Romana cupis et Punica noscere bella,
Lucanum quaeres, qui Martis praelia dixit;
Si quid amare libet vel discere amare legendo,
Nasonem petito; sin autem cura tibi haec est,
Ut sapien vivas, audi quae discere possis,
Per quae semotum vitiis deducitur aevum: **Cato**
Ergo ades et quae sit sapientia disce legendo. **Distichs**
Hoc quicumque volet carmen cognoscere lector, **III intro**
Cum praecepta ferat quae sunt gratissima vitae,

Commoda multa feret; sin autem spreverit illud,
Non me scriptorem, sed se fastidiet ipse.
Semotam a curis si vis producere vitam
Nec vitiis haerere animi, quae moribus obsunt,
Haec pracepta tibi saepe esse legenda memento.
Invenies, quo te possis mutare, magistrum.
Cum praecepta ferat quae sunt gratissima vitae,
Commoda multa feret; sin autem spreverit illud,
Non me scriptorem, sed se fastidiet ipse.

I

Si deus est animus, nobis ut carmina dicunt,
Hic tibi praecipue sit pura mente colendus.
Plus vigila semper neu somno deditus esto;
Nam diuturna quies vitiis alimenta ministrat.
Virtutem primam esse puto, conpescere linguam:
Proximus ille deo est, qui scit ratione tacere.
Sperne repugnando tibi tu contrarius esse:
Conveniet nulli, qui secum dissidet ipse.
Si vitam inspicias hominum, si denique mores,
Cum culpant alios: nemo sine crimine vivit.
Quae nocitura tenes, quamvis sint cara, relinque:
Utilitas opibus praeponi tempore debet.
Clemens et constans, ut res expostulat, esto:
Temporibus mores sapiens sine crimine mutat.
Nil temere uxori de servis crede querenti:
Semper enim mulier quem coniux diligit odit.
L1[O] Cum moneas aliquem nec se velit ille moneri,
Si tibi sit carus, noli desistere coeptis.
Contra verbosos noli contendere verbis:
Sermo datur cunctis, animi sapientia paucis.
Dilige sic alios, ut sis tibi carus amicus;
Sic bonus esto bonis, ne te mala damna sequantur.
Rumores fuge neu studeas novus auctor haberi;
Nam nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum.
Spem tibi polliciti certam promittere noli:
Rara fides ideo est, quia multi multa locuntur.
Cum te aliquis laudat, iudex tuus esse memento;
Plus aliis de te quam tu tibi credere noli.
Officium alterius multis narrare memento;
At quaecumque aliis benefeceris ipse, sileto.
Multorum cum facta senex et dicta reprendis,
Fac tibi succurrant, iuvenis quae feceris ipse.
Ne cures, si quis tacito sermone loquatur:
Conscius ipse sibi de se putat omnia dici.
Cum fueris felix, quae sunt adversa caveto:
Non eodem cursu respondent ultima primis.
Cum dubia et fragilis nobis sit vita tributa,
In morte alterius spem tu tibi ponere noli.
Exiguum munus cum dat tibi pauper amicus,
Accipito laetus, plene et laudare memento.
Infantem nudum cum te natura crearit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.
Ne timeas illam, quae vitae est ultima finis:
Qui mortem metuit, quod vivit, perdit id ipsum.
Si tibi pro meritis nemo succurrit amicus,
Incusare deos noli, sed te ipse coerce.
Ne tibi quid desit, quod quaesisti, utere parce;
Utque, quod est, serves, semper tibi desse putato.
Quod dare non possis, verbis promittere noli,
Ne sis ventosus, dum vir bonus esse videris.
Qui simulat verbis nec corde est fidus amicus,
Tu quoque fac simules: sic ars deluditur arte.
Noli homines blando nimium sermone probare:
Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.
Cum tibi sint nati nec opes, tunc artibus illos
Instrue, quo possint inopem defendere vitam.
Quod vile est, carum, quod carum, vile putato:
Sic tu nec cupidus nec avarus nosceris ulli.
Quae culpare soles, ea tu ne feceris ipse:
Turpe est doctori, cum culpa redarguat ipsum.
Quod iustum est petito vel quod videatur honestum;
Nam stultum petere est quod possit iure negari.
Ignotum notis noli praeponere amicis:
Cognita iudicio constant, incognita casu.
Cum dubia in certis versetur vita periclis,
Pro lucro tibi pone diem, quicumque sequetur.
Vincere cum possis, interdum cede sodali,
Obsequio quoniam dulces retinentur amici.
Ne dubita, cum magna petes, impendere parva:
His etenim pressos contingit gloria raro.
Litem inferre cave, cum quo tibi gratia iuncta est:
Ira odium generat, concordia nutrit amorem.
Servorum culpa cum te dolor urguet in iram,
Ipse tibi moderare, tuis ut parcere possis.
Quem superare potes, interdum vince ferendo;
Maxima enimst hominum semper patientia virtus.
Conserva potius, quae sunt iam parta, labore:
Cum labor in damno est, crescit mortalis egestas.
Dapsilis interdum notis et largus amicis
Cum fueris, dando semper tibi proximus esto.

II

Si potes, ignotis etiam prodesse memento:
Utilius regno est, meritis adquirere amicos.
An di sint caelumque regant, ne quaere doceri:
Cum sis mortalis, quae sunt mortalia, cura.
Linque metum leti; nam stultum est tempore in omni,
Dum mortem metuas, amittere gaudia vitae.
Iratus de re incerta contendere noli:
Inpedit ira animum, ne possis cernere verum.
Fac sumptum propere, cum res desiderat ipsa;
Dandum etenim est aliquid, dum tempus postulat aut res.
Quod nimium est fugito, parvo gaudere memento:
Tuta mage est puppis, modico quae flumine fertur